

Bibliothèque numérique

medic@

**Hourmann, J.. - An à primitivâ
solidorum laesione omnis febris
pendet ?**

**1823.
[s. l.] : [s. n.]
Cote : 90975**

COMPETITIO
AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI

ET EX MANDATO SUMMI RÉGLÉ UNIVERSITATIS MAGISTRI INSTITUTA, ANNO 1823.


An à primitivâ solidorum laesione omnis febris pendet?

THESIS

QUAM, DEO JUVANTE, IN SALUBERRIMA FACULTATÉ MEDICA PARISIENSI, PRÆSENTIBUS
COMPETITIONIS JUDICIBUS, PUBLICIS COMPETITORUM DISPUTATIONIBUS SUBJECTAM
TUERI CONABITUR

J. HOURMANN, DOCTOR MEDICUS.

Multa renascentur quæ jàm cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore.



JUDICES.

Præses.

D. ESQUIROL.

Judices.

D. D.

ADELON.
ANDRAL.
CAYOL.
CHOMEL.
FIZEAU.
LANDRÉ-BEAUV AIS.
RÉCAMIER.

Vice-gerentes.

D. D.

GAULTIER-CLAUBRY.
KERGARADEC.
RULLIER.

COMPETITORES.

D. D. MAILLY.

DEFERMON.

GUIBERT.

LÉGER.

HOURMANN.

AYME.

BROUSSAIS.

CHANEL.

DALMAS.

SANDRAS.

GUÉRARD.

D. D. BERJAUD.

SANSON. (ALPH.)

MENIÈRE.

FORGET.

DUBOIS.

ROYER-COLLARD.

VIDAL.

GUYOT.

REQUIN.

GAYDE.

PARISIIS. EX TYPIS E. POCHARD,
via dicta Pot-de-Fer, n° 14.

et quod non ea et cunctis illis quoque in me exponit et non
est hoc in aliis, nisi in aliis corpori non est. Et ita hoc est
autem coniectus, cum vestrum argumentum sit, quod ex parte
ex parte vero et cetero modo, ut etiam in aliis corporibus ex parte
ex parte vero et cetero modo, ut etiam in aliis corporibus

THESES.

An à primitivâ solidorum laesione omnis febris pendet?

PROOEMIUM.

QUAM ut mihi sortitam quæstionem integrum absolvere possim
cùm sit immensa materies et tempus urgeat, propositionum sæpius
in disserendo formam assecutus sum, et properato semper incessu
metam petere necessitas fuit.

Primum quid per febrem intelligo exponam.

Quid sit febris?

In corpore nostro non sola solida, non solos humores perspicere debemus: principium quoddam sensibus adhuc alienum, sed tamen indubitanter existens, quo organorum elementa et motus pro uniuscujusque actionibus et functionibus peragendis tenentur ac diriguntur, agnoscamus necesse est. Hoc est principium cui omnia in organismo phænomena referenda sunt, sive localia, sive generalia, sive physiologica, sive pathologica manifestentur.

Hujusce ordinis pathologicum et generale phænomenon est febris, actum merum principii vitæ laborantis, damnum oco-

nomiae imminens omni ope contrà reluctantis. Ea est vera febris sedes, ea est natura. Non ideo febrem ipsam, cùm nihil aliud sit nisi *mera functio*, ut indigitemus tentandum, sed quomodo aut quâ viâ noxiæ causæ hunc principii vitæ laborem quem febris exprimit, movere et fovere queant. Nunc :

An semper noxiæ causæ, ut principium vitæ moveatur, primiter solidis infigi debent?

An humores nunquam fœdantur? et eorum fœditate sive primitivâ, sive secundariâ, nonne unquam febris ortum ducere potest?

An, cùm solidos primùm affici patet, febris ex eorum affectione necessariò pendet?

An denique principium vitæ primiter et directè affici posse quisquis profiteatur, ad ineptias abit?

Hæ sunt quot et quâ momentosas incidentes quæstiones quæstio mihi proposita concitat, et quas vicissim, primò pro febribus symptomaticis dictis, secundò pro essentialibus nuncupatis, per argumentationem explanare et perpendere conabor.

CAPUT PRIMUM.

In febribus symptomaticis dictis, an à primitivâ solidorum laesione omnis febris pendet?

Febris symptomatica dicitur : 1º in phlegmasiis; 2º in læsionibus propriè organicis; 3º ad febres symptomaticas accedunt nonnulli in œconomiâ motus, pro functionibus quibusdam præter solitum instituendis suscitatus, sicut lactatio. Post partum nimio sæpius immanis furit febricitatio quæ puerperalis nuncupatur et idem symptomatica.

SECTIO PRIMA. Febris, phlegmasiarum symptomatica dicta.

Cùm è causâ directâ procederit phlegmasia, si febris acceditur, à solidorum læsione quæ evidenter est primitiva pendet, dummodo sit simplex.

Peculiaria, si in eo occasu invadunt et graviora symptomata, *maligna*, ut dicebant antiqui, eorum fontem non in primitivâ læsione sed aliàs requirere necesse est. Talia febrium genera-

ab omni tempore, post gangrenas, post puris larga profluvia, nec non longè latèque diffusos per cutem et telam cellulosam erysipelles, post vulnera sclopetariis armis producta, etc., observaverunt practici, ac in eis explanandis intenderunt. Jàm pridem *Paletta*, *Meckel pater*, *Sasse*, *Hunter*, *Abernethy*, *Travers* malignitatis de quâ agitur veram causam in humoribus contaminatis non modò suspiciati erant, sed multoties demonstrârant. Id nostris nuperrimè diebus omnino venit in apertum, et à nostratum doctorum *Breschet*, *Ribes*, *Velpeau*, *Dance* exquisitis et perfectis observationibus constat pus et equidem saniosam materiem, sive ex ipso ulcere exceptam, sive ob tunicarum inflammationem in earum lumine generatam per venas in humorum massam deportatam et transvectam, omissa malignitatis quæ supervenerunt symptomata importavisse. A primitivâ solidorum læsione febris nullo reipsâ modo pendet.

Quòd si, nunc ad phlegmasias convertamur quarum causæ occasio-
nales non fuerunt directæ, quæ verbi gratiâ ab hygienicis rebus
malè labentibus procedunt, idem quin à solidorum læsione pen-
deat febris dubitandum, et imò sæpè negandum est.

Peripneumoniam interistius ordinis phlegmasias assumam. Si ejus decursum intueamur, hæ sunt quas plerūmque observare datum est periodi: 1° Phœnomena generalia; 2° Localia. Quomodo, si læsio ipsomet momento quo febris appetet, non adhuc exstat, ex eâ febris pendere potest? Hoc factum benè observaverant antiqui et febrem ideo peripneumonicam excogitaverant: quoties talis phœnomenorum series eis occurrebat, febrem quasi læsionis causam et non effectum habuerunt. Indè febris rheumatica, dysenterica, etc. His theoriis, si fideles observationis sodales, naturæ semper obtemperamus, indulgere frequentissimè debebimus. In multis casibus, principium vitæ directè affectum videtur, et materiem nocentem ut expellat, absque ullâ organorum læsione primitivâ, laborare videre est; cùm læsio appetet, à febre pendet, crisis vera fit, malè locata, ut aiunt.

Hic de febribus *eruptivis* dictis sermonem habere est locus.

Quis nihil specificum in variolis, in rubedinibus, morbillis, etc., agnoscat? Febrilis motus incubatio diurna, apparitio cutaneæ phlegmasiæ simul ac febris secessio; febris redux, cùm jàm phlegmasia vanescit, en phænomenorum series, en progressus. Hic febris à solidorum dominio omnino solvit, in omni periodo solida dirigit ac pro arbitrio moderatur.

Ex his dictis concludere fas est in phlegmasiis acutis febrem à solidorum læsione sat rarò reipsà pendere; in phlegmasiis contrà chronicis aliud fit. Principium vitale diù læsionis organorum patiens, etiamsi in principiis ab eo læsio vera *crisis* instituta fuerit, à longo tempore quiescebat; quòd si novos conatus efficiat, à solidorum læsione subitò recrudescente revocatur, à solidorum læsione febris pendet; quod evenit in gastritidibus inveteratis; etc., etc.

SECTIO SECUNDA. febris læsionum propriè organicarum symptomatica dicta.

Febris hectica, in læsionibus *organicis* orta, non semper à primitivâ solidorum læsione pendet. Cùm tubercula pulmonis in suppurationem, desinunt, purulentam materiam sanguinem, sicut in plagis et vulneribus suprà dictis contaminare suspicari potest. Ea est opinio quam sustinet doctor *Rochoux*. Ex hâc contaminatione febrilis motus oritur, et specificam suam excerptit faciem. Cùm autem tuberculis adhuc crudis manifestatur, à læsione organicâ pendere potest febris; sed in hoc equidem eventu, cùm hemathosis in pulmonibus malè necessariò conficiatur, sanguinem pravè compositum principii vitalis conturbationem movere opinari quid impedit?

Hæc de tuberculis, omnes, quæcumque sint, organicas læsiones spectant. Sæpissimè sanguinis foeditas causa febris quæ superveniet haberi debet.

SECTIO TERTIA. Febris lactea, febris puerperalis.

De febre lacteâ quid dicam? Nusquam sanè principium vitæ

suam libertatem clarius demonstrat; puerperalis vero febris non est uniformis, sed quam variatis laesionibus pendere potest.

Partus oeconomiam totam ita impellit et conturbat, ut noxiis causis undique larga et promptissima pateat via. Nulla igitur est morbosa commotio, nulla *febris* cui ansa tunc non prebeat. Ex eo fit ut antiquiores pro febre puerperali quam plurima descripserint damna; nostris temporibus hujuscem febris historia jam tandem illustrata fuit. E recentiorum observatorum laboribus et investigationibus constat, modo peritoneum solum phlegmasia corripi, sed saepissime uterum et ejus annexa. Cum haec peritonei seu uteri phlegmasia unica evadit, febris a nullis characteribus peculiariter stipatur. Cum vero *malignis*, febricitantes mulieres symptomatibus corripiuntur, sanguinis adhuc foeditatem invocare necesse est. Id fusiūs comprobaverunt doctores *Velpeau*, *Dance* et permulti alii.

In primo occasu idcirco, febris a solidis pendet, in postremo vero solidorum laesiones pro nihilo ferre haberi debent.

CAPUT SECUNDUM.

In feribus essentialibus dictis an a primitiva solidorum laesione omnis febris pendeat?

Ea est questionis pars maximè momentosa, tum primùm, nisi omnes, præcipuas saltem quæ detectæ sunt organorum laesiones exponendum. Quæ in canali digestivo reperiuntur, eis potissimum studeamus.

SECTIO PRIMA. *Canalis digestivi in feribus essentialibus laesiones.*

Ab omni tempore, sed nostro præcipue ævo, canalis digestivi laesiones, feribus tam variæ et multiplices, observatorum intentionem evocarunt. Sic ex earum frequentiâ jam pridem concludentes, *Fernel*, feribus intermittentibus in stomacho, duodeno, aut pancreate focum imposuit; *Screta*, *Th. Bartholin* febrem malignam saepissime è phlegmasia mesenterii, *Spigel* hemitritem fe-

brem à tenuioris intestini erysipelate, eamdem à stomacho *Dodoëns*, pendere affirmarunt. Idem *Baglivi*, *Rega*, in febris intestinalium laesiones scrutari quanti interest praedicaverunt.

Exterior. Cùm primùm intestina occurrunt, quandòque in statu normali undèquaque reponi videntur, et quæcumque sit indagatio, nihil huic alienum reperire est. Aliundè immanni volumine turgent, et si percutiuntur resonant; cuspide immissâ gazes erumpunt, plerumque fœtidissimè olentes; aliundè stricta et ad nihilum ferè reducta, abdominis postice parti incumbunt. Quicumque sit hic intestinalium primus aspectus, fieri potest ut eorum superficies lèvis et immaculata remaneat, sed frequens evenit ut rugis asperatur, et maculis inficiatur, cùm numero tùm latitudine, nec non colore variè insignitis. Aliquoties conglomerantur et ità connivent ut molem unam componant. Peritonei cavitas tunc sero sanguineo aut purulento, et spuriis membranulis immixto impleri solet; intestina si evolvere tentetur, ea perforata non raro invenies.

Alia conniventiae intestinalium spècies adhuc observatur. Ea est quæ *invaginatio* dicitur. Harum intùs susceptionum sedes frequentior est ileum. Attamen *Fabricius de Hilden* et *Bartholinus Hartmann*, *Meckel* crassa intestina invaginata reperierunt. In è nostris mensualibus commentariis (*les Archives*) una inter plurimas à doctore *Buet* editas observatio notatur, in quâ ileum, cæcum, colum ascendens, colum transversale unà in colum descendens irruperant. Auctor germanicus quidam duodenum reperiisse condit in canali choledoquo intromissum.

Interior. Quòd si nunc ad intestinalium interiora versemur, et mucosam parietem inspiciamus, numerosiores et quâ multiformes laesiones offendere datum est.

1° Rubores varii, modò lineis arborum ramos referentibus distinguuntur; modò punctati, tùm demùm uniformes, seu laminarum in modum sub variâ formâ et latitudine, et vicinitate sparsæ, seu universalem intestinalium circuitum occupantes.

2° Mucosa spissata, modò quasi tumulus exsurgit, modò cristas et polypos exhibit. Ejus glandulæ tumefactæ passim exsiliunt, et

sive sint sicut stellæ firmamenti sparsæ , sive conglomerentur, præ-clara hæc exauthemata referunt quæ jäm à Peyer, Brunner, Morn-gagni, Lieutand, Lecat, Rœderer, Wagler signata, nostratum ob-servatorum Bretonneau, Andral, Billard, Louis investigationibus descriptionem verè finitam contigerunt.

3º Sæpissimè mucosa emollitur. Hæc alteratio præcipuè à docto-ribus Cruveilhier, Louis, Andral illustrata, non eamdem continuò induit speciem. Quandòque rubrum, nonnunquam pallidum colorem præfert. Quæcumque sit, ea fieri potest mollities, ut mucosa omnino dissoluta effluat.

4º Rariùs firmitatem insuetam mucosa assequitur.

5º Ulcera quorum formas et species pro justo dinumerare vix possibile est, modò mucosam solam eradunt et superficiem tantum excoriant, modò mucosâ penitus destructâ, muscularē usque telam invadunt, et nimiò sæpiùs, pro maximo infortunio, ipsum peritoneum terebrantia, totum intestinum effodunt.

6º Humores quibus intestina lubricantur, non minoribus vitiantur læsionibus. Sic bilis suffusio generalis, atra, viridis aut lurida, mu-cosam universalem imbuere visa fuit. Mucus ipse duos præcipuè præ-bet habitus : modò lentitiâ propriâ destitutus, quasi serum appetet; aliundè spissatus et concretus, membranas efformat quæ, si quibus-dam fidere debemus, aliquando intestinalium meatum obstruxerunt.

Sanguis purus seu materiebus variis immixtus nonnullo in oca-su mucosam insuper effunditur.

Purem quoque merum observare est.

7º Gangrena quam sæpè sæpiùs antiqui suspicati sunt, quamvis rarè eveniat, aliquoties tamen reipsà existit.

8º Tubercula reperta sunt parietibus infixa, sive cum ulceribus, sive absque ullo ulcere.

9º Vasa sanguifera quæ intestina irrigant, inventa fuerunt fre-quentissimè turgida et inter membranas repentina totam ferè intes-tinorum compagem amplecti.

Ea est præcipuarum in canali digestivo læsionum post febres ex-positio. Læsiones in aliis organis rapidè nunc persequamur.

SECTIO SECUNDA. *Canalis digestivi annexa.*

1° *Ganglia mesenterica.* Comperta sunt tumefacta, rubentia, plures in purem conversa.

2° *Hepar.* Congestionibus sanguineis confertum hepar, quandoque sic emollitur ut sub digitis in detritum desinat. Abscessus quoque in eo fieri possunt. Quandoque hypertrophiā enormi pollet; variis denique coloribus et maculis conspectus ejus mutatur. Bilem in vesiculā contentam nigrantem sāpē invenit doctor Andral, et quasi syrupum spissam, aliundē ferè decoloratam et aquosam, tūm deniquē nullos consuetos characteres præstantem in materiam saniosam conversam.

3° *Splen.* Post febres intermittentes quantam molem præferre potest splen quis nescit? In febribus quoque malignis sāpissimē sanguine congestum et in putredinem quasi reducitur; rariū minuitur. Professor Andral nunquam illud organum post febres intactum invenisse fatetur.

4° *Pancreas.* Aliquoties in pus conversus fuit, sed rarō afficitur.

SECTIO TERTIA. *Apparatus urinalis.*

In vesicā ulcera detecta fuere post febres typhoïdes. Nonnunquam sanguinis effluvium. Renes in eisdem emollitos et sanguine imbutos observare datum fuit.

SECTIO QUARTA. *Apparatus circulationis.*

Cor flaccidum et emollitum, vasa sanguifera parietibus internis rubentia, à longo tempore signaverunt observatores, sed in eo facto potissimum intenderunt doctores *Bertin* et *Bouillaud*.

SECTIO QUINTA. *Apparatus respirationis.*

In tracheā arteriā, post febres typhoïdes, ulcera. Pulmo ipse phlegmasiā peculiaria correptus quam professor Andral pultaceam vocare proponit, hepatisationm rarō meram exhibuit. In pleuris sanguinis effluvia.

SECTIO SEXTA. *Systema nervosum.*

Inter systemata organica quae læsa in febribus fuere, hoc sistema minimè sæpius læsum, à doctore Andral inventum fuit. Atta-
men doctores *Serres* et *Lallemand*, unus in medullari spinâ, alter
in cerebro plurimas signaverunt alterationes.

SECTIO SEPTIMA. *Systema musculare.*

Nil est communius in febribus malignis musculos reperire livi-
dos, crux labefactatos et ut ita dicam putrefactos.

SECTIO OCTAVA. *Systema cutaneum.*

Cutanea superficies labibus infinitis maculatur; eruptiones ex-
surgunt petechiales, typhoides, ecchymoses, vibices, etc.; quandò-
que pallida et squammosa in pulverem eruditur, nonnunquam su-
doribus frigidis et spissis madefactata.

Numerosiores adhuc sunt quæ per anatomen in cadaveribus post
febres essentiales dictas defunctorum læsiones investigantur.

An semper primitivæ fuerunt?

Si semper primitivæ fuerant, symptomatibus constanter ritè con-
gruerint; semper læsiones, nisi omnes exstisset, una saltem
extisset; febris phænomena non humoribus læsis explanarentur;
principium vitæ directè et primitus affici non posset, sed:

1º *Symptomatibus non constanter ritè congruunt.*

Sua quisque observata recordari si voluerit, breviter constabit
casus quām multos evenisse in quibus omnia quæ per febres decu-
currerunt phænomena solidorum læsionibus minimè convenerunt.
Sic 1º fuere deliria absque ullâ cerebri alteratione; vomitus quoque
absque ullâ stomachi aut intestinorum modificatione; anhelitus
absque pulmonum ullo vitio; adynamiae, quanquām musculi sani
evaserint; circulationis conturbationes, nullâ in vasis sanguiferis et
corde læsione detectâ, etc.

2º Sæpissimè levior læsio fuit, quanquām gravissima fuissent
symptomata, et aliundè levissima symptomata quanquām gravis-
simæ læsiones.

Hanc ut inter symptomata et lœsiones discrepantiam explicarent Solidisti, consensum sympatheticum et sensitatem quamdam pro variis variam evocârunt. Tale responsum aliquid valere posset, quanquam minimum, si semper lœsiones post febres adfuerant.

2º Non semp̄ extiterunt lœsiones solidorum.

Factis quæ tale probant propositum abundat scientia, et nemo est nostrūm, si bona fides adhibetur, qui per se plures talia non fateatur observavisse.

Hodierna animorum directio et impulsus usque adeò anatomicæ scientiæ profuit, ut jām tandem organorum structura et species quæ physiologiæ congruant in aperto ferè omnibus venerint, et observatori erroris ansam deinceps præbere vix possit eorum attenta scrutatio.

Secedat idcirco objurgium quod vulgari hiatu clamare nimiò adhuc multi solent nostram contra in organorum detegendā instruzione potentiam. Multa sanè nos fugiunt et fugient; sed quid hæc intima et minuta anatomia ad febrium naturam?

Aliud verò majoris ponderis argumentum et à *Bichat* jām emisum sœpē redit; id est quòd *solidorum* lœsionem post mortem dissipatio ea quandòque sit, ut nulla vestigia, nequidem minima remaneant. Erysipelas cutaneus sic vanescit, quòd si tamen phlegmasia intensa fuerit, rubor quo insignitur in cadavere non cessat. Exinde levem solummodo lœsionem, et minimi pretii, sic disparere videre erit.

Tertium argumentum Solidisti à *Morgagni* excerptum rursùs et rursùs proponunt, rapiditatem scilicet mortis lœsionum absentiam inducere, et eò faciliùs quòd organa affecta maximè ad vitam conferunt. Quid suprà dixi adhuc referendum, id unum adjiciam: cerebro spinalis systematis nonnunquam et profunda labes, nullis ferè symptomatibus stipatur; quomodo satis minuta lœsio quam conspicere nemini datum est, gravissimis, et citò lethalibus phænomenis præceps et sufficiens occasio fieri posset? Id saltem in dubium revocare fas est.

Nullà igitur reipsà ope ad solidorum detegendas læsiones, quandò fuerint, indiget anatomen; et si non detectæ fuerunt, non existebant.

3° *Febris phænomena explanare possunt humorum alterationes.*

A galenicis theoriis res medica sanè abhorret; sed facta tot et tanta convenient, præsertim à novissimis annis, quæ alterationem humorum denuntiant, ut humorale sistema scientiæ progressibus et physiologiæ aptum, quotidiè magis ac magis confirmetur.

Sanguis caro fluens, ut aiebat *Bordeu*, reipsà est. Etenim chemia in eo detexit solidorum elementa; coagulatus omnia organorum m̄dimenta præbuit. Doctor *Andral* sanguinem in splene congestum irritari et à propriâ substantiâ secretiones morbidas educere posse arbitratur. Si cæterùm in hoc intendimus quòd in evolutione fætali omnes solidi primit, sint liquidi, quòd nullum solidum posteà in corpore efformetur, quin priùs ejus substantia fuerit fluida, et deformetur quin rursùs in fluidum convertatur, concludere jàm ferè possemus ab *Home* et multis aliis solidos esse statum verè transitorium, et humores contra statum permanentem.

Quidcumque de hâc lite sit, alterato sanguine, omnia febrium phænomena declarata fuisse constat.

Quæ jàm in primo capite diximus de accidentibus adynamicis, *malignis* quæ vulneribus supervenerunt, cùm pus aut materia sanguis torrentem sanguinis irruperint, tale propositum sustinere valent. Illud verò affirmare et directè statuere veniunt experientiæ à doctoribus *Gaspard*, *Leuret*, *Magendie*, etc., institutæ. Saniosas materias, sanguinem infectum per venas injecerunt; tunc non solummodo febrium phænomena apparuère, sed etiam omnes ferè solidorum læsiones quas suprà retulimus, productæ fuerunt. Doctor *Velpeau*, in academiâ medicâ (février 1825), observationem hominis retulit in quâ homo congestionis in cerebro signis occu-

buerat, et in cuius cadavere omne circulationis sistema sanguine pultaceo impleretur. *Bichat*, ut nemo nescit, in venâ cavâ inferiore, jâm sanguinem saniosum invenerat. Non semper, et id fateri debemus, sanguinis alterationem sic expromere possumus; sed quis nescit miasmata quæ revera exstant, aera inficientia, nec tamen sensibus corripi posse? Si sanguis ab animali ægrotante evacuatus, morbum eumdem animali sano communicat, non dubium est, quanquàm investigatio et quidem chemia, nihil in ejus qualitatibus modificatum invenerit, illum vitiari.

Si sanguine foedato febres frequentissimè decurrunt, humores quoque ex eo secretos et alteratos multa febrium phænomena creare posse quis negabit? Historiam à *Morgagny* relatam juvenis post febrem defuncti legere est, in quâ bilem quæ stomachum impleret itâ nocentem inyenit ut duæ columbæ quibus hæc bilis lanceolæ ope infixæ fuit subitò occubuerint. Doctor *Orfila* eamdem experientiam in eodem casu iteravit, resina bilis tantum acritatis præbebat ut labia simul ac tangeret ea corroderet. Doctor *Chaussier* profitebatur succos in stomacho efformatos alterari posse itâ ut quâm gravissimis accidentibus ansam dare possent.

Inter eas febres quarum causæ per humores decurrunt, numerandæ sunt plurimæ ex essentialibus *simplicibus* dictis, scilicet febres *inflammatoria*, *biliosa*, *mucosa*. Omnes quæ gravissimis stipantur symptomatibus, *adynamicæ*, *ataxo adynamicæ*, et uno quæ communi typhoideo nomine designantur, *typhus* propriè dictus, *flava febris*, *pestis*, etc., intermittentes denique ferè omnes.

4° Principium vitæ directè et primitivè affici potest.

Hoc principium undique per œconomiam proditum, quodecumque sit, sive *Eρρημα* Hippocratis, sive Vanhebmontis *archea*, *impetus faciens* Boerrhæarii, *anima stahlianorum*; sive recentiorum *vis vitalis*, *vis nervosa*, *principium nervoso electricum*, etc., etc., directè affici videtur in plurimis ex symptomaticis dictis febribus quarum causa occasionalis *spontanea* habetur. Idem in nervosis propriè nuncupatis, *hecticā verā*; *consumptivā*; idem quoque in

nonnullis inter intermittentes perniciosas dictas, ut *cerebrali febri*, etc., quæ omnes febres verè essentiales abeunt.

CONCLUSIONES GENERALES.

A primitivâ solidorum læsione raro febres reipsâ pendere videntur; sæpissimè ab humoribus; nonnunquam à directâ principii vitalis affectione.